

THEODORI GRAECI THESSALONI
CENSIS, AD NICOLAVM QVINTVM PON
TIFICEM MAXIMVM.



VIR magna exultare lætitia possint homines nostræ ætatis,
pater sanctissime, non absens nunc, ut tempore elapso, relatum
accipio; sed iam annum apud te manens, rerum ipsarum expe-
rimento planè intelligo. Quod enim solum uetus illa & lauda
ta Platonis sententia remedio urbibus futurū permultis ac ua-
rijs detrimentis laborantibus afferit, nostris his temporib[us] cer-
te uideo contigisse. Quod enim tu, qui summus philosophus
semper fuisti, summus princeps creatus es, præclare actū iam est, quod uir doctissi-
mus ille futurum affirmat, cum aut philosophus regnare, aut rex philosophari ince-
perit. Quippe nunc arma, quæ per Italiam, Europamq[ue] totam saeuebant, penitus
conquiescunt, & Mars furens ille uinculis tuae coercetur prudentiæ: omnesq[ue] in-
ter se gentes reconciliatae, pace tranquillissima ex tua opera, tuisq[ue] consilijs perfru-
untur: & clarissima quietis munera, id est, studia literarum, quæ diuturna bella eri-
puerūt, tuo pontificatu reflorescere pulcherrime incepere. Pacem nanq[ue] ipsam abs
te fundatam ueluti quandam plantam, flores eiusmodi, atq[ue] fructus abūde sequun-
tur. Et urbes Italæ omnes nunc literarum ornamenti exilarantur, quibus prius or-
batae, deformes, & ueluti lugubri quadam ueste indutæ, modo uiduarum degebāt;
consistunt nunc, augmenturq[ue] maiorem in modum cœtus philosophorum, oratorū,
poëtarum, deniq[ue] professorum omnium liberalium artium: & excitantur mirum
in modū ingenia hominū te autore diue Nicolaë, qui non solum tua tempora paca-
ta sic reddidisti, uerum etiā cuiq[ue] suæ uirtutis, laborisq[ue] præmia magnifice proponis.
Non enim tu pecunias conseruandas inutiles censes, sed assidue quæq[ue] large distri-
buis, & diuitem sic te opinaris, si tibi pecuniæ usui sunt, si summa liberalitate laudem
tibi comparas immortalem. Nec tu aurū ad condendos exercitus sumptitas, ut non
nisi sanguinolenta manu calicem diuinis sanguinis labijs admoueas tuis: sed fessa op-
30 pida reficis, templa condis, omne literarum genus ut pulchre uigeat, facis: quæ pau-
peribus inopia reddant leuiores animo largiris: omnia deniq[ue] laudabiliter statuis,
quibus felicitas publica cunctis mortalibus contingere possit. Sed nihil clarius, nihil
sanctius, nihil deniq[ue] humanæ uitæ commodius, quam ea tua cura, & diligētia, qua
literæ florent, & homines plurimi docti, eruditissimq[ue] euadunt, quaq[ue] doctis nihil omni-
no deest, quod uel honoris, uel pecuniae consequi debeant. Quia in re peculiarem
profectò laudem illam quoq[ue] tibi reddere licet, quod non solum uolumina omnia,
quæ lingua latina præbere possit, summa cum diligentia colligenda, & usq[ue] à barba-
ris ultra Aquilonem degentibus cōquirenda magno cum sumptu curas: sed etiam
Græcorū numerosa opera cōuertenda in latinum sermonem percenses: idq[ue] tan-
40 to cum desiderio agis, ut breui, pauci uix libri insignes restent linguae illius, qui lati-
ne legi non possint. O rem perutilem, & summo pontifice dignā. Hæc enim ut ho-
mines eruditos, omniq[ue] barbarie perpurgatos reddere potest: ita etiam humanio-
res, iustioresq[ue] reddat necesse est. Hæc tuas bibliothecas summe princeps non pau-
cis quibusdam Iudæorum libellis, ut de Ptolemæo Philadelpho scribitur: sed pluri-
mis, amplissimisq[ue] Græcorum codicibus gentis nobilissimæ, omniq[ue] literarum gene-
repræstantissimæ facit pleniores. Quocirca ratione optima bibliothecas istas, quæ
tantum luminis afferant linguae latine, tantumq[ue] utilitatis præsent hominibus, the-
sauros longe meliores illis existimari oportet, quos pontifices quosdam semper cu-
stodisse, modoq[ue] Colchidici illius draconis, absq[ue] ulla utilitate super eis assidue inui-

gilasse accepimus. Quæ cum ita sint, te iure optimo fundatorem quietis, autoremq; aurei cuiusdam seculi, non solum Quirites, uerum etiam omnes Europæ incolæ appellant, & summis laudibus extollunt, & honoribus perinde a deum in terris alterum prosequuntur. Sed hæc quanquam plenius explicare magnopere cupio de-
mentissime princeps, tamen Theophrasti opus, quod mihi interpretandum decre-
ueras, me iam ad se trahit, ut inspici à te celerius possit: quapropter de his aliâ latius,
uti debedo, referre pro uirili mea conabor. Nunc Theophrasti libros de plantis fron-
te hilari, pro tua solita humanitate accipies: quos credo traduci à me iusseras, non
quod me satis id facere posse putaueris (parum enim ea in re me ualere, tu minime
ignoras) sed ut hominem græcū latine dicentem aliquando audires. Nouitas enim
rei non nihil delectationis afferre quoq; in genere potest. Mihi tamē res adeò meas
uires excedere uisa est, ut nisi pro lege tuā uoluntatem firmissime mihi statuerem,
facile hercle recusasse, quæ bene expedire non possem. Cæterū tua iussa tantum
apud me ualent, ut quantulum ego summo cū labore alieno in cœlo serere possim,
cogitare nō uelim, dum modo tuę uolūtati morem gesisse uidear. Inspice igit & le-
ge quoad tuæ occupationes permittant, libros quos iussu tuo in latinā cōuertitus
linguam, atq; in tuo nomine ædidimus: & si quid recte dixisse uideamur, id diuino
tuo auxilio trübue. Te enim non secus a deū p̄iissime inuocantes opus incepimus.

20

THEODORI GRAECI THESSALONI CENSIS PRAEFATIO IN LIBROS THEO- PHRASTI DE PLANTIS.



R A E F A N D V M illud Heracliti dictum arbitror, quo abie-
ctæ cuiusdam domunculæ aditū breuiter simul & pulchre mi-
nus aspernandum afferuit. Is enim casam aliquando ingressus
furnariam, sedisse ignis hyberni forsitan causa diutius dicitur.
Quod cum à quibusdam interim quæreretur, quos eum uilissi-
mum locū introire puderet: subridens ille, introite, inquit, sunt
enī hīc etiā dij. Nam etsi nobile, atq; graue studiū illud puta-
ri debeat, quo te non uoluminis alieni interpretem, sed tui autorem exhibeas: ta-
men non adeò contemnendum equidem interpretandi studium dixerim, ut nun-
quam ad hoc digneris accedere. Est enim uel in eo ipso utilitas quædam, quam ne-
gligi minime ab homine philosopho decet. Proderit nanq; hominibus non minus
cum sententiam altius utilem aperuerit, quam cū suam ipse docuerit. Nec illa di-
cendi ratio deest, quæ depromenda sanè sit ex philosophiæ magistræ omniū rerum
(ut ita dixerim) officina sermonis: cum de aliena lingua in tuā traductio exigit qui-
dem, ut idem aperias: sed non idem, quod uulgs seruare in transferendo consue-
uit: sed quod proportione linguae utriq; philosophus suo iudicio aptissime daret. Itē
exprimi quidem ornata singula, præstantius est: sed nō adeò uerborum ornatui in-
dulgendum, ut si quid non nisi mutata sententia transferre ornata ualeas, tueri ele-
gantiam malis, quam sententiam: quæ forma quodammodo est orationis. Vocabu-
lorum etenim modum, utpote materiam quandam pro formæ istiusmodi ratione,
non formam istam pro uocabulis capiendam philosophus nouit. Addo etiam impo-
nendorum nominum aptam inuentionem, quæ cum in interpretando persæpe ne-
cessaria sit, philosophia profectò opus est: quæ natura perspecta, nomina noua qui-
dem, sed quod ad recte rationis iudicium pertinet, nullo minus reddat antiqua. Sūc
enī